



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani,
Liberi Baronis De Furstenberg**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Fons Pamphilius Innocentii X. Pont Opt. Max. Ludovico XIV. Galliarum et
Navarrae Regi Christianissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

FONS PAMPHILIUS
INNOCENTII X.
PONT. OPT. MAX.

Opus admirabile, in circo Agonali Romæ.

ORbis quadrifidi simulacrum cernis in Urbe,
Flumina qui nostro fonte quaterna bibis.
Hic Ganges, hic qui dulces Argenteus amnis
In mare, perrupta ' Doride, volvit aquas.
Hic Ister prona recubat septemfluus urna,
Et totidem Nilus cornua fronte gerit.
Omnes Roma parens gentes complexa, ministrat
Omnibus ex uno fonte salutis aquam.

LUDOVICO XIV.
GALLIARUM ET NAVARRÆ
REGI CHRISTIANISSIMO.

An. M. DC. LXXII.

DUM Batavas late volitans, LODOÏCE, per
urbes
Mars tuus ad Rhenum fulminat atque Salam,
Et pelagi terraque potens victoria Francis
Militat & capiti fert nova ferta tuo;
Exilio revocata piis feliciter armis
Relligio tecum sic fuit orsa loqui:
Dexter ades, LODOÏCE; tibi mea sacra, fa-
lusque
Debita: post superos tu mihi dexter ades.

* *Amnis Argenteus*, qui Hispanis dictus *Rio de la Plata*, hoc est ab argento. *Massau*
Hist. Indica lib. 2.

60 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Perge, Deo præeunte, vias tentare negatas,
Claraque Borbonidum vincere facta tuis.
Causa Patri fuerit magni Rupella triumpho,
Cum domitum iussit Nerea vincla pati:
Vidit & opposito fluctus albescere muro,
Et ruere aduerso vela Britannia Deo.
Urbs tamen una fuit merces operosa laborum
Magnaque prolatae damna fuere morae:
Quindecies toto jam luna recreverat orbe,
Impositum tandem cum tulit illa jugum.
At prope ter denas armis & legibus urbes,
Uno mense, tui est subdere Martis opus.

E I D E M.

QUI Batavis magnas armata classe quot
annis
Aduehit, Eoæ munera gentis, opes,
Oceanum cohibent moles aggerque furentem
Ne tumidis illos victor inundet aquis.
Dum Batavas signis peragras florentibus oras,
Quæ, LODOÏCE, tuum claustra morentur iter?
Fortior Oceano es. Te non objecta retardant
Flumina, non arces, oppida, tela, viri.
Quin, ope quos texit, Batavos nunc obruit armis
Deucalioneæ Mars tuus instar aquæ.